



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.59. Responsum ad Libros Carolinos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

puarum Ecclesiarum consensu non suffi-  
cere. (\*)

Sæcul. VIII.

A. C. 794.

## §. LIX.

*Responsum ad Libros Carolinos.*

In illo Responso Hadrianus Papa loquitur in hunc modum: *Angilbertum Abbatem Capellæ vestræ Ministrum, pæ-* tom. 7. Cons. p. 915.  
*ne ab ipsis infantia rudimentis in Palatio vestro enutritum, & omnibus Consiliis adhibitum, suscepimus, (\*\*)* & *audivimus benevole, quæcunque nobis explicavit, non secus ac si vestra Excellentia nobis locuta fuisset. Is tradidit nobis Capitulare adversus Concilium Niceæ celebratum pro erectione Sacrarum imaginum; & inde dilectio, qua vos complectimur, compulit nos, ut ad singula capitula*

N n 3 la

(\*) Sola Summi Pontificis Auctoritas simpliciter quidem sufficeret, sed Dei providentia nunquam factum, ut reliquæ Ecclesiæ a Romana, Fidei dogma promulgante, dissentirent, ne Fidelibus errandi occasio præberetur.

(\*\*) Ipsa verba sic sonant: *Unde pro nimio amore, quem erga vestram mellisluam gerimus regalem excellentiam, sicut misistis, cum nimio amore dulcedinis eximia, eum suscipientes &c.*  
Aq. Conc. Tom. IV. p. 775. Edit. Paris.

Sæcul. VIII. *la responderemus, non quemlibet (absit)*  
A. C. 794. *hominem defendentes, sed antiquam Ec-*  
*clesiæ Romanæ Traditionem vindicantes.*  
 Respondet deinde ad diversa capitula,  
 non quidem ordinem Librorum Caro-  
 linorum sequens, sed semper notans, ex  
 qua Concilii Niceni Actione articulum,  
 quem defendit, excerpserit. Initium  
 ducit affirmans, quod Tarasius dixerat,  
 Spiritum Sanctum a Patre procedere  
 per Filium, atque ad id probandum  
 quorundam Patrum Auctoritatem ad-  
 ducit. In hoc Summi Pontificis Re-  
 sponso illud observari meretur, quod tunc  
 temporis Ecclesia Romana in Doctrina  
 Græcorum de processione Spiritus Sancti  
 nihil reprehenderet.

*c. 9. p. 946.*

Ad objectionem deductam ab opi-  
 nione Constantini Cyprensis, qui fere-  
 batur dixisse, quod Imagines adoraret  
 sicut Sanctam Trinitatem, Papa aliud ni-  
 hil respondet, nisi quod referat Concilii  
 Decretum, in quo honor imaginibus  
 competens a Cultu Naturæ Divinæ con-  
 gruo clare distinguitur. Mentionem fa-  
 cit duorum Conciliorum Romæ contra  
 Iconoclastas, anno 732. a Gregorio Pa-  
 pa III. & anno 769. a Stephano cele-  
 bratorum. Atque hoc secundum ad-  
 præsentem disceptationem gravissimi e-  
 rat momenti, quod duodecim e Fran-  
 cia

*c. 2. p. 919.*

*c. 12. p. 947.*

*Sup. Lib.*

*XLII. §. 16.*

*Sup. Lib.*

*XLIII.*

*§. 56.*

cia Episcopi delecti interfuerint, & ta-  
 men in eo decretum sit, Imaginibus cul-  
 tum esse exhibendum. Ad illud, quod  
 dicebatur, vitas Patrum non esse ope-  
 ra genuina, vel corrupta esse, Hadria-  
 nus Papa respondet, non alia opera in  
 Ecclesia legi, quam talia, quæ nomina  
 Scriptorum probatorum præferrent, &  
 plerumque legi Acta Martyrum. Af-  
 fert exempla multorum Pontificum,  
 quorum jussu in Ecclesiis Romanæ Ci-  
 vitatis imagines collocatæ fuissent, quæ  
 adhucdum viserentur, scilicet S. Sil-  
 vestri, S. Marci, S. Julii, S. Damasi,  
 S. Cœlestini, S. Sixti, S. Leonis, Vigi-  
 lii, Pelagii, Joannis primi, & S. Gre-  
 gorii.

Sæcul. VIII.  
 A. C. 794.  
 C. 17. p. 955.

Tandem respondet Papa ad ulti-  
 mum Articulum Librorum Carolino-  
 rum, in quo dicitur, non vetari, ne ado-  
 rentur imagines, sed neque ad eas ado-  
 randas quemquam esse compellendum,  
*Quantum articulus iste a prioribus di-  
 versus est! Idcirco hanc esse genuinam  
 mentem vestram cognoscimus, cum S.  
 Gregorii Doctrinam vos omnino sequi  
 profiteamini.* Hic sermo ad Carolum  
 Regem dirigitur. Deinde Textum ex  
 Epistola S. Gregorii ad Serenum refert,  
 in qua dicit, Imagines utiles esse ad in-  
 formationem nostram, at neminem

p. 960.

Hadriani Pa-  
 Responsa.

N n 4 nisi

Sæcul. VIII.  
A. C. 794.

VIII. ep. 9.  
Sup. Lib.  
XXXVI.

§. 9.  
VII. ep. 5.53

p. 962.

nisi solum Deum esse adorandum. Ad-  
dit Textus duos ex Sancto Gregorio, vi-  
delicet ex duabus ad Secundinum Epi-  
stolis, ubi dicit, mittere se ipsi imagines  
ad excitandam ipsius devotionem, atque  
ut Jesum Christum præsentem ipsius ima-  
gine adoret.

Papa de Concilio Niceno II. loquens  
prosequitur: *Hoc Concilium recepinus,  
quia ejus Definitio cum opinione San-  
cti Gregorii consentit, timentes ne si  
illud rejiceremus, Græci in errorem  
suum relaberentur, nosque tot anima-  
rum ruinæ causam poneremus. Inter-  
im post celebratum Concilium necdum  
Imperatori ullum responsum dedimus.*  
Nimirum non latebat Pontificem, va-  
cillare Auctoritatem Aulae Constanti-  
nopolitanæ, ibique Iconoclastas pluri-  
mum posse. His subjungit: *Cum Græ-  
cos hortati fuimus, ut imaginum cul-  
tum reducerent, monuimus etiam, ut  
Ecclesiæ Romanæ Jurisdictionem in quos-  
dam Episcopatus & Archiepiscopatus,  
item patrimonia, tunc nobis ablata,  
quando imagines destruere jussi sunt,  
redderent; sed nullum responsum acce-  
pinus. Unde liquet, ipsos unum arti-  
culum sed non duos alios emendasse. I-  
taque si vobis videatur, cum Imperato-  
ri scribam & ob assertum imaginum  
cultum*

*cultum Gratias agam, instabo, ut Jus-  
 risdictionem & Patrimonia quoque re-  
 stituat; si vero recuset, Græcos Hære-  
 ticos pronuntiabimus.*

Sæcul. VIII.  
 A. C. 794.

Tale est Hadriani Papæ ad Libros Carolinos responsum, ideo admiratione dignissimum, quod lenissime respondeat Scripto contumeliis & sophismatis referto; sive tanta moderatio Pontificis ingenio adscribenda sit, sive timori ne offenderet animum Caroli, cujus præsidium ipsi erat per necessarium.

§. LX.

*Reliqui Canones Francofor-  
 dienses.*

In tertio Canone Concilii Francofordiensis dicitur, Tassilonem Caroli Sobrinum, olim Baviaræ Ducem, in medio Concilii stantem, flagitasse veniam culparum, quas tam in Regnum Francorum, quam in Reges Pipinum & Carolum admisisset. De cetero etiam omnem animi rancorem de præteritis dimittebat, & omne jus, quod sibi vel filiis suis in Ducatum Baviaræ competere potuisset. Rex omnibus condonatis supplicem recepit in gratiam.

*Egin. an.  
 788.*

Nn s

Jam